

Exercitatio medica naturalem atque praenaturalem sanguificationis in humano corpore historiam exponens ... / [Anastasius Hertzog].

Contributors

Hertzog, Anastasius, active 1690.
Harder, Johann Jacob, 1656-1711.
Universität Basel.

Publication/Creation

Basileae : Typis Jacobi Bertschii, 1690.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ayth7dd2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

EXERCITATIO MEDICA
NATVRALEM
Atque
PRÆTERNATVRALEM
SANGVIFICATIONIS

In Humano Corpore
HISTORIAM
exponens:

Quam

Favente Divini Numinis Auxilio

AUCTORITATE ET INDULTU

Gratiosissimi Medicorum Basiliens. Ordinis

MODERATORE

Viro Excellentiss. ac Experientiss.

D. JOH. JAC. HARDERO,

Philosoph. ac Medicin. Doct. Anatom. &

Botan. Prof. Celeberr. Facultat. p.r. Dec. Spectatiss.

Sereniss. March. Badâ-Durlac. Consiliar.

atque Medico &c.

Patrono atque Meccœnate suo

in ævum colendo,

Publico Asclepiadeæ Corona

examini submittit

ANASTASIVS HERTZOG,

Kirchemâ Tecc. Württemberg.

Ad D. 19. Maji, An. M. DCXC.

Loco Horisq̄ue consuetis.



V I R I S

*Nobilissimis, Excellentissimis, Experientissimis,
Celeberrimis, Clarissimis,*

DN. JOHAN. JACOBO HARDERO,
Phil. & Med. Doct. Anatom. & Botanic. in Academiâ
Basiliensi Profess. Celeberrimo, Facultatis p. t. Decano
Spectatiss. Sereniss. Marchion. Bad. Durlacens. Consi-
liar. & Archiatro. S. R. I. Natur. Curios. Adjunct. &
Pata. Illustr. Recuperat. Socio Meritiss.

DN. JACOBO ROTH, Phil. & Med. D.
Excellentissimo, Practic. Professori Digniss. ac Ordin.
Gratios. Seniori Gravissimo:

DN. NICOLAO EGLINGERO, Phil.
& Medic. Doctori Excellentiss. Theoret. Professori
Acutissimo, Reipubl. Basl. Archiatro Celeberrimo:

DN. THEODORO ZVINGERO, Phi-
los. & Medic. Doct. Experientiss. Physices Profess. &
S. R. I. Natur. Curios. Collegæ, d. Aristot.

DN. JOHANNI HERTZOG, Chirur-
go Dexterrimo, ac Civitatis Kirchemâ Tecc. Wür-
tenb. Consuli Spectatissimo:

Dominis Patronis, Præceptoribus,
Fautoribus, Hospiti, Parenti,

Progymnasma hocce Academicum,
In debitæ observantiæ symbolum, uti par est
& decet,

submissè consecras

AVCTOR & RESPONDENS.



Σὺ τῷ Θεῷ.

EXERCITATIO MEDICA
De
SANGVIFICATIONE.

PRÆFATIO.



Ominis præ cæteris animantibus nobilitatem atq; præstantiam conquisitis studio argumentis probare velle, idem esset ac meridiano Sole lucem fœnerari, cum hoc ipsum ratio, hujusq; interpretis Oratio abundè testentur: Ratio quidem, quatenus post Sacram Paginam vos sufficienter instruit, nobilitatem hominis veram dependere ab imaginis Divinae similitudine, Animaq; in qua hac primario fundata est, pulchritudine: Oratio autem, quatenus per hanc, admirando organorum apparatus expressam, devoti erga Deum & benevoli erga Proximum animi sensa liberè exponere, sicq; infinitis modis corpori & animæ consulere valemus. Quantum verò Hominis creatura reliquis omnibus dignitate præcellit, tantum & corpus illius quoad singulas partes rectè dispositum, antefertur corpori agro, maleq; constituto: usque adeo, ut nemo non ardentibus votis sanitatis constantiam exoptet, eamq; si quâ labefactata est, remediis undecunq; arcessitis recuperare studeat; in id præcipuè ex consilio sagacis Medici intentus, ut Chylificationem, Sanguificationem, Pneumatogenesiam, aliasq; partium functiones & secretiones, ad secundæ valetudinis longævita-

tem maximè necessarias, in naturali statu conservet. Cùm verò Hæmatoseos negotium principale omninò sit, in quo & ñ esse, & ñ benè esse corporis humani viventis consistat, lubuit in præsentia rerum ejusdem Historiam, rudi, quod ajunt, Minervâ depictam, publicè exponere: cæpta ut Deus secundare, & conatibus ut Eruditi benè cupere velint, unicè precantes.

§. 1.

- CORPUS humanum ex infinita tubulorum varii generis congerie, & diversis per illas transmeantibus liquoribus ac spiritibus supernaturali artificio elegantissimè concinnatum, hincque Machinæ Hydraulico-Pneumaticæ nomine à nostræ ætatis Philosophis haud ineptè insignitum, plures in se admisit actiones, mutationes, atque secretiones; naturales omnes, sed quarum aliquæ ad nutritionem atque vitam; aliæ verò ad motum machinæ per fibras motrices atque musculos fieri solitum, magis faciunt. Inter illas, quæ nutritioni ac vitæ prolongandæ inserviunt, inprimis occurrit Functio ista, multis ab omni ævo disputationibus inter Eruditos celebrata, quam à sanguinis ex chylo generatione sive elaboratione, Latini quidem *Sanguificationem*, Græci verò Medici *Αιμάτωσιν*, *Αιματογενεσίαν*, & *Αιματοποίησιν* appellârunt. §. Describimus hinc *Sanguificationem*, quòd sit particularum chylosarum ex ductu thoracico in ramum subclavium infusarum, hincque cum sanguine per cor & Pulmones circulantium, ope præcipuè motûs intestini humorum, atque pulsûs cordis & arteriarum in sanguinem immutatio & conversio, ad partium solidarum nutritionem, vitamque adeò ipsam producendam maximè necessaria. Generis loco ponimus Mutationem, quæ species aliqua est actionum, quas appellare consueverunt naturales: sed cùm in corpore sano actiones omnes naturales dici possint, insuper actionem illam specialiùs nuncupamus vitalem, quoniam ad vitæ conservationem maximè est necessaria: reliqua descriptionis verba continent Sanguificationis causas, sequentibus Thesisibus enodandas.
3. §. *Causa* Sanguificationis sunt, primò *Materia*, quam duplicem facimus

facimus *proximam* five *immediatam*: ac *remotam* five *mediatam*.
Illam dicimus esse Subjectum proximum, quod in sanguinem
converti debet, quodque in definitione Particularum chylo-
farum appellatione expressimus; Vocant alii uno nomine Chy-
lum, l. potiùs Chymum, qui purior est & lacteus succus, ex
chylo in intestinis per vasa lactea secretus. Succus hic in
Sanguificationis actione rationem patientis habet, utpote qui
patitur, ut forma sua chylosa mutetur in sanguineam. Mate-
riam *remotam* constituunt alimenta, cibus potusque, per os as-
sumpta, inque ventriculo ac intestinis Chylificationis ope in
Chylum conversa. Si Sanguificationis in Embryone mate-
riam considerare velimus; dicendum quoque, materiam ejus
proximam esse succum Amnii, à fœtu formato per os suctum;
remotioris verò esse serum materni sanguinis gelatinosum, per
glandulas membranæ Amnii intra ejus cavitatem destillans. In
principio autem, dum Embryo vivificatur, materia illa semina-
lis in Ovulo præexistens beneficio motûs intestini particula-
rum, (à Seminis masculini vi plasticâ partim, partim & à calo-
re Matricis excitati,) sensim ita agitur, ut tandem per re-
clusos paulatim canaliculos moveri, simulque vitalem, è Ma-
tre sanguineum liquorem, per venam umbilicalem referatam,
pro sui nutritione, auctione, & ulteriore vivificatione admit-
tere queat. §. *Forma* Sanguificationis uno omnium ore con-
sistit in Modo, quo sanguis fit, aut quò chylus vel chymus
in sanguinis substantiam convertitur: Iste verò Modus quàm
arduus explicatu sit, diversæ adeò de eo sententiæ satis su-
perque testantur, quarum plures illi fundamento innituntur,
ac si Sanguificatio solummodò in accidentali mutatione con-
sistat, atque hinc l. nudam in corpore commistionem suffice-
re putârunt; alii in exacta particularum comminutione, quâ
mediante succi in sanguinem convertendi intra angustiores
viscerum, præcipuè Hepatis, ductus subigi & quasi pinsitari
solent, consistere crediderunt: sunt quoque, qui vel in nuda
partium chyli alimentarium resolutione, vel in earundem
fermentatione, à fermento intra viscus aliquod concluso ori-
ente, acquiescunt: Recentiores quidam per flammulam vita-

lemm, five biolychnium, in sinistro cordis ventriculo residens exponunt. Nos verò sanguificationis opus hoc ordine & modo naturaliter in sanis contingere arbitramur: particulæ alimentorum in ore masticatæ, hinc in ventriculo ope fermenti ac caloris resolutæ, & in succum gryseum hordei cremori haud absimilem commutatæ, postmodum in intestinis tenuibus, accessu novorum, ex hepate, pancreate, & plexibus intestinorum glandulosis, advenientium liquorum, dilutæ, sub specie albicantis sive lacteæ massæ (sequestratâ excrementitiâ saburrâ,) per vasa lactea ad ductum thoracicum promotæ, tandem in venam subclaviam exonerantur, sanguinique ibidem permistæ, cum eodem ad dextrum cordis ventriculum ulteriùs urgentur; sicque in hoc transitu à pulsu ventriculi cordis conquassatæ, & cum sanguinis moleculis divaricatæ, jam prima sanguificationis rudimenta subeunt; sed ulteriùs inde ad minima arteriarum pulmonalium vascula, earumque oscula progredientes, ibidem accessu particularum aërearum, per inspirationem admissarum, longè magis adhuc alterantur atque postea, in transitu per venam pulmonalem cum intervenientibus aëreis corpusculis jugiter circumrotando, vesiculosam adquirunt texturam, & velut in bullulas, determinatæ molis ac ad invicem habitudinis rediguntur, eodemque simul tempore floridum ac rutilum colorem adquirunt: dum verò abhinc chylosæ particulæ sic alteratæ in sinistrum ventriculum protruduntur, ab illiusdem pulsu noviter conquassatæ, sibi invicem jam meliùs subiguntur, sicque circumrotationibus & repetitis pulsuum tam cordis quàm arteriarum contusionibus, in perfectum sanguinem mutantur; cujus moleculæ balsamico-sulphuræ, alcalinæ, acidæ, terrestres cum aqueo liquore sufficienter dilutæ, adeò amicum, dulcem & aptum inter se situm occupant, ut neutiquam secum invicem ebulliant, sed in singulis glandulis inde facilè secernantur, quæcunque secerni debent, particulæ, biliosæ in Hepate, urinosæ in Renibus, lacteæ in Mammis, spermaticæ in Testibus, spirituosæ in Cortice Cerebri. &c. Quæ cum in sano Hominis corpore ita naturaliter peragantur, fidem neutiquam

adhuc

adhibere possumus illi plurimum opinioni, qui Chylum adhuc
crudum penè sanguini, tribus vel quatuor horis post partum
per V. Sect. emissio, innatare sibi firmiter persuadent. In
Fœtu uterino, licet aër, per pulmones non admittatur, ta-
men cum sanguine materno, succoque amnii sufficientes parti-
culæ aëreæ ita adveniunt, ut sine respirationis ope per solam
invicem confusionem, & pulsionis ope factam conquassatio-
nem, sanguificationis opus peragi queat. §. Pergendum jam
esset ad *Causam efficientem*, nisi *Color* sanguinis ad sui contem-
plationem nos propiùs invitaret, fronte quidem satis pulcher,
pro ferendo nostro exinde iudicio, sed magnâ tamen explica-
tionis difficultate obvelatus. Cùm verò aësymbolum hinc a-
bire non liceat, commodum occurrit experimentum. *Nobiliss. ac
Excellentiss. Dn. Joh. Jac. Harderi, Philos. ac Med. Doct. Anatom. &
Botan. Profess. Celeberr. Sereniss. Marchionis Badâ Durlacens. Consil. &
Archiatr. &c. Præsidis mei ad aras devenerandi, quod habet in Pro-
dromo Physiolog. cap. III. pag. 49. de Humor. Capito, inquit, lact. rec.
duas partes, salis Tartari unam, hæc, coquas in ollula, videbis spatio
horæ quadrantis, lac in sanguinem abire.* Hoc adductus experi-
mento Auctor Celeberrimus vult, chylum albicantem in cor-
pore humano, quotidie sanguini rubenti confusum, simili
quâdam ratione rubescere, & quidem uti videtur non sine ra-
tione. Ad quamvis enim Tincturam duo necessariò requi-
runtur corpora, alterum tingens, alterum tincturam reci-
piens, quod Menstruum vocant. Quæ requisita occurrunt
in dicto exemplo omnia: id enim quod tincturam largitur,
est lactis vaccini pinguioris substantia butyrofa sulphurææ na-
turæ: quod extrahit tincturam, est sal Tartari: corporis de-
nique tincturam recipientis vice fungitur substantia lactis se-
rosa, quæ sufficienti per cocturam rubedine tincta, particulas
tandem caseosas à sui consortio dimittit, hinc in coagulum
abeuntes: ignis a. adhibetur, ut compages succi sulphur. lactis re-
solvatur, & ita sal tart. in lactis sero solutū feliciùs in illud agere
possit. Eodem modo se res habet in chyli mutatione in sanguinē,
illius enim sulphur crudum per particulas aëreas exaltatur in
6. rubicundum. §. *Causa Efficiens Hæmatoseos Prima* est Deus O.
Max.

Max. qui ut machinam Humani corporis infinitâ suâ Potentiâ & Bonitate creavit; ita & in eadem Sanguificationis opus, ceu ad vitalitatem maximè necessarium, artificiosissimè collocavit. *Causa secunda*, eaque *principalis* est motus Materiae mundi subtilis, qui pro certa sui quantitate, particulas chyli ac sanguinis, sibi invicem commixtas, blandè inter se agitât, sicque calorem in illis producit, albicantia chyli corpuscula, pro sitûs atque figuræ earum determinatâ modificatione atque mutatione, rubicundo sensim colore tingentem: qualem colorum variationem nôrunt optimè, quotquot varii generis fructus cocturâ, saccharoque, seu in perennitatem, seu in gulæ delicias condire solent, quibus fructibus, vel per solam coctionem rubicundior inducitur color; uti exemplo cydoniorum carnis, cort. citrior. aliorumque pomorum, vi ignis excoctorum, probari potest. Secundò ad *Causam Principalem* etiam referendæ sunt particule aëreæ, nitroso-salinæ volatil. per inspirationem in sanguinem intromissæ, quæ suâ elasticitate particulas chyli pinguioribus & sulphureo-salinas attenuant, ac ita dissolvunt, ut eò feliciùs in sanguinem facessant; dumque eadem particule aëreæ, ut sanguini inexistentes, hujusque motum jugiter foventes considerantur, sanguis ipse sanguificare dicitur. *Causæ minùs Principales* & quidem præcipuè Instrumentales sunt, Inspiratio, quæ aëreas elasticas particulas sanguini impellit, & pulsus cordis atque arteriarum, qui dum liquores per tubulos promovent, eadem simul operâ particulas earundem inter se agitant, sibi que invicem subigunt. §. Quibus benè accurateque pensitatis, vel quisque luculenter videt, minimè opus esse, ut vel Facultas aliqua sanguifica, extra somniantium cerebra nusquam existens, vel fermentum aliquod fingatur, sive in hepate, sive in liene, sive in corde, sive in sanguine ipso, juxta quorundam opiniones stabulans, cujus beneficio sanguificationis negotium peragatur; Si enim fermentum quoddam adesset, tunc fermentatio quædam necessariò inde deberet contingere; ad fermentationem autem & locus fermenti, & mora succi fermentandi requiruntur, quæ certè ubinam pro sanguificatione existant, hætenus

hactenus concipere nescimus : Neque enim Lien, neque He-
par locum fermento recipiendo aptum habent : In Cordis ven-
triculis ne vestigium quidem fermenti unquam repertum :
nullibi tandem mora liquori in sanguinem convertendo con-
ceditur : in sanguine quod fermentum aliqui concipiunt,
nullum quoque est, quia debitas fermenti conditiones & o-
perationes habere nequit. Usque adeò ut unice sufficiat va-
ria particularum chylosarum, dum in sanguinis gremium in-
trofusceptæ sunt, agitatio à motu materiæ subtilis, elasticâque
virtute aëreorum corpusculorum producta, quam si quis ad
8. fermentationis species mordicè referre velit, per nos hacte-
nus licebit. §. Expedito igitur, quidnam sanguinis mate-
riam exhibeat, quomodo, & à quibusnam causis formetur,
proximum est, ut in ejusdem *Finalem causam* breviter etiam
inquiramus. *Finem* autem sanguificationis facimus duplicem,
Proximum, sive *Subordinatum* unum, & *Remotum* sive *Ultimum* al-
terum : *Proximus* est sanguinis sinceri elaboratio, cujus natura-
lem historiam præcedentibus Thesisibus exposuimus : *Remotus*
Finis, in Descriptione suprâ indigitatus, est Nutritio bona,
perfecta, hincque sanitatis vitæque conservatio. Sanguifica-
tio itaque in machina corporea ab Auctore Naturæ est insti-
tuta, ut liquor idoneus, pro transmigrandis omnibus & sin-
gulis machinæ tubulis generetur, partibus nutriendis & au-
gendis alimentum, fibris autem movendis vim & efficaciam,
singulis calorem vitamque exhibere valens. Hujus sententiæ
veritatem dispicimus ex eo, quòd membra sanguinis influxu
privata vitales, & consequenter quoque animales functiones
amittant, refrigescant, & ad gangrænam ac putrilaginem ruant.
Econtrariò illius influxu, membra ad vitales motus edendos
apta redduntur, non uti hactenus plerique opinati sunt, so-
lummodò per caloris influxum, sed potius per stimulum, quo
membra à sanguine allabente continuò & intrinsecè irritan-
9. tur ad tales motus præstandos; dum interim etiam vim à
cerebro & genere nervoso nanciscuntur. §. Spectatis Hæ-
matoseos causis, jam devenimus ad adjuncta, sive circumstan-
tias quasdam circa functionem tam nobilem occurrentes;

quales in primis sunt *Locus*, *Tempus*, atque *Differentia*. Per *Locum* hîc non intelligimus præcisè aliquod Organum corporeum actione quâdam suâ sanguificationem promovens, de quo ceu *Causa instrumentali*, plerique ab omni tempore inter se disceptârunt Medici, quodque nos in præcedentibus, sub nomine *Causæ minùs Principalis Efficientis* sufficienter exposuisse confidimus. Sed per *Locum* hîc indigitatum volumus partem quandam humani corporis solidam, in qua sanguificatio peragitur; quam partem olim jam in Veteri, imò adhuc in hodierna plurimum Medicina pro instrumento perperam habuerunt, activè sese respectu sanguificationis habente; atque hinc *Facultatem sanguificam Antiqui*, Recentiores autem nonnulli *Fermentum* quoddam eidem affinxerunt. Nos verò talem partem merè passivè sese habere credimus, aut si I. maximè aliquid activè contribuit ad Sanguificationem, illud

10. per accidens contingere arbitramur. §. Hanc verò partem, siue *Locum Hæmatoseos*, neque *Hepar*, neque *Lienem*, neque *Cor solum*, neque *Venas*, sed *vasa primò pulmonalia*, hinc *cor*, tandemque *arterias* esse asseveramus. Et quidem *Hepati* meritò hunc derogamus honorem, non quidem, ut *Harveus*, atque *Charletonus*, Medicique alii Clarissimi sibi imaginati sunt, eapropter, quia in formando foetu sanguis appareat, antequam *hepar* producat; sed potius quia neque *chylus* immediatè ad *hepar* fertur, nec, etiamsi eodem feratur, in viscere isto ulla dispositio I. aptitudo existit, cujus ope *chylosa substantia naturam sanguinis* acquirere possit: Imò *Hepar* juxta oculatiorum Anatomicorum sententiam, unicè ad *secretionem primariò Bilis*, hinc & *Lymphæ* cujusdam à

II. *Natura destinatum*, atque productum fuit. §. *Lieni*, ut Sanguificationis munus denegemus, plures adhuc sunt rationes, etsi enim usus ejus obscurus hætenus fuerit, nec nisi aliquali sanguinis depurationi, atque *Lymphæ*, hinc in communem truncum *spinalem infundendæ*, *feretioni*, quorundam conjecturâ destinatus; attamen quoniam ne guttulam quidem *chyli* in se admittit, hætenus opere *Hæmatoseos* quoque su-

12. per sedebit. §. *Venas* porrò à nobili isto negotio excludimus, quoniam

quoniam chylus neque integer, nec immutatus in illas pro-
 truditur. Cùm enim vasa illa revehendo sanguinis cruori
 rubicundo ex lege circulationis sint consecrata, primò non
 chylum, sed sanguinem recipiunt; dein etsi chylum quo-
 que reciperent, is tamen jam lymphæ portione in vasa
 lymphatica secretâ privatus existeret; quæ lymphæ por-
 tio certè non sola illa est, quam chylus in ductu thora-
 cico, aut ipsâ venâ subclaviâ undecunque affluentem in sui
 consortium admittit, sed reverà simul plures chyli particu-
 læ eidem in glandulis segregatæ permiscentur. Nec deni-
 que purus chylus ad venas deferri potest, quoniam par-
 tim à lymphâ, partim aëreis particulis permixtis, partim
 etiam à cordis arteriarumque pulsibus maximè alteratur, &
 13. ad majorem tenuitatis gradum provehitur. §. *Cor* solùm,
 ut pro loco Hæmatoseos hâbere nolimus, vel illud saltem
 nos movet, quòd chylus & antequam cordis ventriculos
 subeat, & postquam jam transiit, sanguinis essentiam ac-
 14. quirat. §. Ut ergò nostram tandem exponamus mentem,
 dicimus, Sanguificationis non secùs ac Chylificationis esse
aliquos gradus, adeoque partes aliquas esse, in quibus San-
guificatio incipiat, alias in quibus fiat, alias tandem in qui-
bus perficiatur. Locus, in quo incipit Sanguificatio est
Vena subclavia, atque *Dexter Cordis ventriculus*, in quibus pri-
 mùm partibus sanguini confunditur chylus. Locus, in
 quo fit magis Sanguificatio, sunt *Vene pulmonales*, utpote in
 quibus aëreæ particulæ chyli portiunculis insufflantur, ut
 consistentiam atque colorem sanguinis adipisci possint. Lo-
 cus tandem, in quibus Hæmatosis perficitur, est *Cordis ven-*
tricus sinister, simul cum *Arteriis*, quarum continuâ pulsa-
 tione chylosæ partes maximè attenuantur, & ad perfectum
 15. Sanguinis florem volatilifantur. §. *Tempus* Sanguificatio-
 nis adeò exactè definire non licet, cùm enim diversus sit
 chylus, ratione tam quantitatis quàm qualitatis, diverso
 planè temporis spatio Hæmatosin peragi debere, necesse
 est. Inprimis autem hîc quæri debet, an chyli portio eo
 temporis spatio, quo inter dextrum cordis ventriculum, &

arteriolarum totius corporis extremitates (quod vix semi-
horæ spacium complebit in corpore sano) perfectè in san-
guinem mutari possit? Vel an pluribus demum circulatio-
nibus hæc sanguificationis perfectio contingat? Ad quod
respondemus, chylum quantitate non nimium, si justum
tenuitatis gradum suis in locis adeptus est, unâ illâ circula-
tionis viâ in perfectum sanguinem mutari posse. Si verò
& mole nimius, & qualitatis ratione vel nimis viscidus,
vel nimis crassus, tunc pluribus omninò circulationibus o-
pus habet, antequam eum volatilitatis gradum, qui sangui-
ni proprius est, adeptus fuerit. Sed tamen in prima quo-
que circulatione à chyli natura mutatur, & jam Sanguifi-
cationis rudimenta ita suscipit, ut nunquam è venis sincerus
extrahi possit, quemadmodum id plures hætenus Medi-
16. ci asseverârunt. §. Tandem *Differentia* Hæmatoseos sunt
considerandæ, inprimis autem mentionem hîc injicimus di-
stinctionis illius, quâ in *Naturalem* & *Præternaturalem* diri-
mitur. *Naturalem* appellamus eam, quâ chylus in sincerum,
complexioni cujuscunque hominis convenientem, sangui-
nem convertitur. Sinceri atque boni sanguinis nomine
nobis venit *Liquor arteriarum ac venarum florido rubore*
præditus, atque ex falis vel. falsi majore, particularum sul-
phurearum minore, terrestrium minimâ quantitate, copioso
phlegmate volatili dilutis constans, ita ut aptus omninò
fit, minimos etiam tubulos lege circulationis subingredi
ac perfluere: insuper etiam in quibuscunque glandulis suf-
ficientem lymphæ quantitatem, citra sanitatis dispendium,
exhibere. Præternaturalem Hæmatosin vocamus eam, quâ
loco sinceri sanguinis è chylo progignitur sanguis diversi-
17. modè quoad crasin vitiatus. §. Atque hujus *Præternatura-*
lis Sanguificationis *Differentiæ* iterum variæ sunt, quæ va-
rias produciunt *Intemperies*. V. gr. *Biliosam, Pituitosam, Sero-*
sam, Melancholicam, Atrabiliariam &c. *Biliosa* Intemperies sive
Dyscrasia est, quando sanguis particulis oleosis, sale plus
minus volatili falso turgidis, imprægnatur, hominesque
hinc ad varias animi commotiones vehementes, item Fe-
bres


bres acutas. &c. proclives reddit. *Pituitosa* est, quando ex chylo, ad justum tenuitatis gradum non evecto, sanguis progignitur crassus, sero multo, crudo, atque, ob salia plus minus fixa, viscido præditus, qualis sanguis homines Catharrhis, Cachexiæ, Hydropi, variisque Affectibus soporosis obnoxios efficit. *Serosa* est, quando ex chylo nimis phlegmatico & falso, sanguis provenit lymphâ tenui, sæpè & acri turgidus; homines ad Raucedines, Catharros suffocantes, Rheumatismos, Diarrhœas, Sudores frequentes &c. dispositos reddens. *Melancholica* est, quando sanguis oritur, lymphâ falsacidâ fixâ plus minus inquinatus; unde homines propter salis illius fixi resoluti aggestionem, ad Hystericas, Hypochondriacas, Scorbuticas, etiam Epilepticas passiones, ut & Deliria Melancholica atque Maniam inclinant. *Atrabilaria* tandem, à Melancholica non nisi salis acidi diversitate est distincta, quod sal acido-fixum in Atrabilaria Dyscrasia sanguinem reddit magis vappescentem, hincque homines torpidos, lentos, segnes &c. producit. Imò tale serum sanguinis in glandulis facillè stagnat, & Scirrhus, vel etiam, adquisitâ fortè acrimoniâ corrosivâ, Cancros producere aptum est. Plures adhuc alias Intemperies sanguinis dari haud imus inficias; sed cum eæ nimis copiosæ sint, & ob variam penèque incomprehensibilem particularum mixturam, accuratè describi haud possint, iisdem quoque recensendis heic supersedemus; illud saltem coronidis loco monentes, ad producendas ejusmodi sanguinis Dyscrasias plerumque contribuere, & Chylum diversimodè vitiatum; & Atmosphæræ majorem minoremque impuritatem, ob quam ejusdem pondus ac elasticitas variata, simul sanguinis motum atque consistentiam diversimodè alterat; & tandem Respirationem quomodocunque offensam, ob quam sufficiens particularum aërearum copia in sanguinis laticem non intromittitur, unde chylosæ particulæ plures crudæ remanent, variis obstructionibus parien-
 18. dis aptæ. §. Sed cum nostri propositi ratio non sit, si-

mul sanguinis historiam tradere, hisce paucis prolatis filum abrumpo, in quibus si quid fortè erratum, aut minus plenè planè ac distinctè enucleatum, pro eâ æquitate, quâ tenuitatis nostræ nobis conscii sumus, Candidum Lectorem oratum volumus, ut quicquid illud est, humanæ infirmitati partim, partim temporis, quo premebamur angustia, benignè indulgeat, nobisq; favere pergat.

S O L I D E O S I T
G L O R I A .



COROL-



COROLLARIA.

I.

Herniæ intestinales in adultis æquè, ac in infantibus, quàm sæpissimè topicis curantur felicissimè, absque sectione.

II.

Sic Herniæ intestinales, transplantatione juxta mentem Celeberr. Theophrasti Paracelsi interdum tolluntur.

III.

Intestina per aliquot annos in scroto incarcerationa, plerumque cum scroti tunicis annasce solent, id quod ægris ob incautos Chirurgos sæpiùs exitiosum imò lethale fuit.

IV.

In vulneribus sclopeto inflictis non necesse est, ut statim juxta quorundam Chirurgorum opinionones, remedia ad ambusta applicentur.

V.

In vulneribus à rabido cane, &c. inflictis, non solum illa veneni cum succis corporis nostri fermentatio suppressenda, sed quoque pars vicina juxta mentem Celeberrimi Fabricii Hildani medicamentis veneno resistantibus, abluenda est.

VI.

Vulnera thoracem penetrantia, etiamsi aër manifestò exierit, curationem tamen interdum admittunt.

VII.

Sic etiam vulnus inflictum, in quo ensis per anteriorem

teriolem addominis partem intraret, ac per tergum egrederetur, curatum fuit.

VIII.

Cauteria in pregmate, in variis capitis affectibus, summo cum fructu inuruntur.

IX.

Magna quorundam hodiernorum Chirurgorum temeritas est, qui intrepidè in futuris cranii Trepanum applicant, quorum meminit Clariss. Muys Decad. V. pag. 249.

X.

Cancer mammarum, imprimis cum glandulas subaxillares occupat, nunquam medicamentis, sed sola totius partis extirpatione curatur.

XI.

Caries ossium, (si id quidem citra novum periculum aut majus discrimen fieri possit) optimè tollitur ustione.

XII.

Luxationes vertebrarum dorsi summè periculosa, interdum lethales existunt.

F I N I S.

